5.

DE

POLYDIPSURIA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

ANNUENTIBUS MAGNIFICO DOMINO RECTORE

ILLUSTRISSIMO FACULTATIS DIRECTORE, SPECTABILI D. DECANO

AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

AUSPICE

D. J. B. FANTONETTI

CLINICES MEDICAE AC THERAPIAE SPEC. PROF. V. G.

UNA CUM ADNEXIS THESIBUS DEFENDENDIS

PUBLICAE DISQUISITIONI OFFEREBAT

IN C. R. ARCHIGYMNASIO TICINENSI

MENSE SEPTEMBRIS MDCCCXXXII

LAUREAM MEDICAM ASSECUTURUS

FEDERICUS PAGANI

MEDIOLANENSIS

I. R. COLLEGII GHISLIER. ALUMNUS

Ticini Regii

EX TYPOGRAPHIA BIZZONI

I. R. Universitatis Typograph.

DE POLYDIPSURIA.

Urinarum profusio cum siti inexplebili *polydipsuriam* constituit, a graecis verbis πολύς, *multum*, διψα, *sitis*, et οὖρον, *urina.*

Synonima sunt *dipsacos*, *polyuria*, *polyuresis*, *diabetes*, a διαβαινω, *pertranseo*, nec non, teste Castelli, *urinae profluvium*, *hydrops ad matulam* vel *matellae*, *diarrhoea in urina.*

Prout urina emissa insipida est vel dulcis, polydipsuria quoque insipida vel mellita nuncupatur. Quorundam vero auctorum ad mentem, si urina mellis aut sacchari odorem et saporem refert polydipsuria *vera* est, quam *diabetem anglicum Sauvagesius* etiam nuncupat, siquidem Angliis est familiaris. Altera autem polydipsuria *nota* seu *spuria* audit.

Polydipsuria tanquam affectus rarissimus a nonnullis habetur, dum ipse *Galenus* se tan-

tum bis illam vidisse narrat (1). Ast merito de hac raritate animadvertit *J. P. Frank* «eam potius occurrere a medicis in urinae quantitatem, vel saporem haud satis attentis (2).» Libenter autem hic addam quod cl. *Hildenbrandius* hoc intuitu scripsit. « Diabeten quamvis perrarum in praxi morbum, neutiquam tamen ut *Cullen*, *Reil* et *Dorson* existimaverunt, Nosologorum figmentum esse nos edocuit praxis » (3). Revera pluries schola clinica ticinensis polydipsuriae exemplaria protulit.

Nosographia.

Polydipsuriae praecipuum symptoma est urinarum immodica secretio et excretio, ita ut persaepe alimoniorum ac potulentorum rationem excedat. *Sennertus* hac re tradidit, Scholiographum Hollerii hominem vidisse, qui sex pintas Lutetianas urinae quotidie mingebat. In *Dodeneo* legitur, aegrotum fuisse, qui omni nychthemero lotii quadraginta libras et am-

(1) De loc. affect. Cap. 3.

(2) De curand. homin. morb. Epit. L. V. P. I. pag. 39.

(3) Annal. schol. clin. Ticin. P. I. p. 159.

plius de more reddebat. Notabilis quoque est historia a *Marco Gattinaria* et *Cardano* relata, de quadam videlicet »puella annorum 18, quae anno Christi 1481 passa est superfluum urinae profluvium, adeo ut singulis diebus urinae circiter libras 36 emingeret, cum ex potu et cibo non plus septem libris assumeret. Cumque hoc sexaginta diebus perseveraret, emisit ultra cibi et potus quantitatem libras 1740, quod pondus longe excedebat pondus puellae etsi tota in urinam fuisset resoluta, cum puella non potuerit excedere pondus libr. 150.» *Fonseca* testatur de aegroto qui omni nychthemero urinae libras 200 reddebat. Polydipsuricum, « in quo urinae quotidie ad libras 40 vel et semel 52 ascendebant » observavit J. *P. Frank.*

Qui hoc affectu laborant continua cupiditate mingendi et bibendi vexati vix quietis, somnique brevi tempore reperire queunt. Urina autem in quibusdam aquea et cruda, in aliis turbida aut crassa, quandoque mellis colore quasi tincta, et simul dulcis, quandoque limpidissima, et quoque dulcissima, quandoque alba ac inodora, interdumque etiam violam redolens emittitur. Quandoque demum saporem, odorem et colorem potus assumti parum aut nihil mutatum refert. Sunt aucto-

res, qui loquuntur de urinis chylum aemulantibus, et sustinent chylum immutatum cum lotio excerni.

Neoterici verum in ea versantur sententia, albicantem quem saepe praeferunt urinae colorem, ex eo proficisci, quod puri commixtae excernantur. Caeterum in diabete urina consueto limpida, absque odore, et colore est, saepiusque dulcis. Hoc autem lotium chemicis periculis subjectum fuit; et juxta *Nicolas* et *Guendeville*, qui anno 1803, proprias hoc respectu evulgarunt observationes, pene in totum urea ac acido urico careret. Vix quoque sulphatis ac phosphatis vestigia exhiberet, dum sacchari nec non hydrochloratis sodae copia majore vel minore scateret. Saccharum vero non semper adesset, sed ubi duntaxat urina dulcis est. *Chevalier demonstravit* saccharum hic eductum, neutiquam uvae saccharo comparandum, et neutiquam ab illo arundinis sacchariferae differre. Anno 1806 *Thenard* et *Dupuytren* praecipua facta a *Nicolas* et *Guendeville* allata confirmarunt. Recentiora verum experimenta a *Burruele* instituta perhiberent, diabeticorum urinam, quamdam ureae quantitatem continere. Acidi contra praesentiam nunquam detegere scierunt; ex quo diabeticae urinae

chemicus character magis constans esset, hujusce acidi potius quam ureae absentia. Nonnulli autumarunt, quod si saccharum in urinis sit, sanguis quoque eo expers esse non debeat. Sed *Vauquelin* et *Segalas*, nullum principium saccharinum offenderunt in sanguine cujusdam foeminae cujus urina septimam sacchari partem exhibebat. In diabete autem insipido urina pene in totum componitur aqua et materiei animalis parva copia.

Recensitis hoc modo mutationibus quo ad quantitatem, et qualitatem urinarum, diabetis phoenomenon praecipuum, et essentiale constituentibus, oportet alia hujus affectus propria symptomata in medium ferantur. Dum nos aegros tantalea siti torqueri diximus, et hoc in statu os aridum, siccum ac plus minusve laete rubellum est, frequenter ardoris sensus a faucibus usque ad imum abdomen per intervalla persentitur. Lumbi dolent, intusque de perpetua urinarum stillicidii sensatione diabetici conqueruntur. Cutis nunquam madida est, sed perpetuo arescit. Accedunt bulimia, interdum ructus acidi, alvi segnities, agrypnia, inquietudo, dysphoria et lassitudo universalis. Pulsus potius aequo tardiores sunt. I. P. Frank refert: » potentem » quondam veneris in castris militem hoc a

» morbo vix correptum, non modo omnem » cum uxore coeundi potentiam, sed semi- » nalis vestigia liquoris in totum amisisse » (1). Ob summas urinarum jacturas marcor universalis prodit, et vera teterrima colliquatio demum quoque occurrit. Hac ratione *Aretaeus* diabeten definivit, » carnium et membrorum » in urinam colliquationem. » Increscente et insenescente morbo ardor internus et lumborum dolores adaugent, motus febriles adjunguntur, os saliva nonnunquam spumida ac viscida obtegitur, quae linguam subdulci aut subacido sapore afficit. Gingivae fiunt molles, tumidae, et magis rubellae, quasi salivatione mercuriali essent affectae. Alitus oris mucidus est; capitis dolor cum frequenti vertigine; sitis et bulimia quammaxime urgent. In nonnullis rubent genae, dum oculi nitorem perdunt, subflavi et squallidi apparent. In pejus adhuc rebus ruentibus, totum corpus macie confectum tabescit; magis adhuc languent vires, animi depressio accedit. Ardor internus vix tolerans potum omni instante postulat; mingendi cupiditas frequentior adhuc fit, facultate urinam retinendi paulatim amissa, quae guttatim ex uretra manat. Febri quasi

(1) L. c.

hectica assidue aeger multatus; moerore, viriumque maxima dejectione perpetuoque duobus illis immanibus cupiditatibus mingendi et bibendi licet ad effectum perductis, nunquam attamen satisfactis, oppressus ad lethum illabitur.

Diabetes consueto lente decurrit; etsi non desint exempla acuti. Hinc ad annos producitur, et post annos duntaxat maximum attingit gravitatis gradum. Fertur de aliquo casu in quo affectus hic per integram aegroti vitam stetit, quin vitam decurtare videretur. Sub tam diuturno decursu haud rarum occurrit, urinas ad sanas paulisper accedere, ex dulcibus insipidas fieri, indeque dulces adhuc reddere.

Diabeticorum cadavericae sectiones nimis adhuc paucae sunt ut eisdem aliquid certi colligatur. Renes verum semper obnoxii sunt, communius hypertrophia, testibus *Segalas*, *Cloquet* et *Dézeimeris*. *Andral* autem hoc respectu sic se exprimit: » J'ai observè une hyperemíe » tres considerable des reins sans autre alte» ration de leur texture sur un individu mort » pendant le cours d'un diabete . . . . Dans » un autre cas où la mort survint egalement » pendant le cours d'un diabete, le reins » n'etajent pas hyperèmies, mais il ne pre-

» séntaient pas non plus cet etat de paleur, » et d'*anemìe*, qu' on a long temps regardé » comme costituant la principale alteration » qui se recontre ches le diabetiques. Parmi » les observations relatives a des ouvertures » des cadavres de diabetiques, qui ont été » publièes depuis une dizaine d'années il n'en » est aucune, à me connaissance, dans la » quelle le reins ajent prèsentè cet etat d'*a-* » *nemie*, dont on à tant parlè. L'hypertrophie » des reins est une des lesions les plus com- » munes, qu'on ait recontrèes dans les cas » de diabète » (1). Ex anatome pathologica habetur quoque diabeticorum renes phlogoseos, exituumque ejusdem notas praebuisse; moxque universalem viscerum ipsorum compaginis laxitatem, nec non aliquo in casu veram atrophiam. Caetera viscera pene semper illaesa. Ex nonnullis practicis seniores, infirmiores et mares praecipue huic affectui opportuni essent, dum alii sustinent tam juvenes quam senes, tam fortes, quam debiles, maresque aeque ac foeminas itidem obnoxios evadere.

(1) Precis. d' anat. path. t. 2. 2.me part. p. 617.

Aetiologia.

Obscurissima caussarum ratio hoc in morbo est. Pene omnes, qui de diabete scripserunt in eo attamen conveniunt, quod humiditas habitualis inter hujus effectus caussas praecipuas reponenda sit. Hoc pacto explicabatur praedilectio, quam ipse offert adversus incolas regionum humidarum, nebulosarumque, uti Anglia et Batavia sunt. Sed *Dezeimeris* ex copiosis quas lectitavit, diabetis observationibus, nec unam quoque frigori humido attribuendam esse recognovit. Attamen cum udor atmosphaericus cutis liberam transpirationem impediat, et urinarum secretio adaugeat, neutiquam a diabetis caussis occasionalibus est arcendus. Merito autem ad easdem caussas pertinent meri, liquorumque spirituosorum abusus, potus aquosi praesertim tepidi nimia ingurgitatio; diuretica nimis libere assumpta; praeparata, quae cantharides ingrediuntur; mercurialium ac resolventium usus diuturnus. Accedunt inde animi pathemata; venus immodica, sicuti ac stases abdominales, nec non irritatio renibus inducta a calculis in eisdem degentibus, aut visceribus illis illata maxime ex inflammatione fistulae gastro-entericae, ac mesenterii. Forsan veri-

tati absonum non foret, nonnulla alimenta huicce urinae profluvio faveri; de quo nihilosecius scientia usque adhuc nil certi habet. Veteres demum serpentis dipsodis morsum in diabetis caussam retinebant.

Nosogenia.

Non paucae absurditates in medium relatae conspiciuntur ad polydipsuriae genesin explicandam. Apud veteres vulgata erat sententia, proximam hujus mali caussam esse renum intemperiem calidam, » ob quam illi serum » copiosius e venis attrahant, quod cum ob » imbecillitatem et copiam retinere nequeant, » venas rursum a jecore hoc ex intestinis et » ventriculo trahere, unde orificium ventri- » culi vellicetur ac sitis excitetur, ob quam » assumtos potus mox a venis et renibus at- » trahatur atque iterum ad vescicam mitta- » tur » (1). *Galenus* primus fuit, qui diabetis caussam in renum imbecillitatem et attractionem nimiam retulit (2). In quam renum imbecillitatem a frigore contractam caussam quoque *Trincavallius* reiicit. *Platerus* statuit, » diabetis caussam esse serosi humoris, cum

(1) Sennen. op. L. c.
(2) 6. de L. aff. C. 6.

» sero subitam et profusam quasi evacuatio-
» nem, ut universum quasi serum e corpore
» effluat. » *Eustachius Rodius* praeter renum calidiorem intemperiem, se experientia edoctum, aliam caussam invenisse scribit, nimirum » jecoris caliditatem atque ventriculi
» retentionem laesam. » *Sylvaticus* statuit,
» insignem calidam intemperiem in hepate
» ex toto venoso genere succensam, sangui-
» nem fundere, ejusque portionem aliquam
» in serum mutare. Serum autem hoc ab
» eximia renum caliditate separari a sanguine
» et attrahi, quam deinde multitudinem cum
» illi ferre non possint, ad vesicam, quod
» ruat imperiose, permittere, quae pariter
» cum tantam seri multitudinem ferre non
» possit, ad eam expellendam insurgere.» *Sennertus* praeter renum, hepatis, et lienis calorem ad liberam seri attractionem, accusat etiam » magnam laxitatem in meatibus, per
» quos serum e corpore elabitur, quemad-
» modum *Julius Alexandrinus* vidisset re-
» jecta cum urina apii radicum frustula,
» quadrantis magnitudine nonnulla, quas ae-
» ger radices medicis insciis jusculis inco-
» quendas curaverat; et *Fabricius* de quodam
» recordat, qui cum aquas acidulas biberet,
» et confectione seminis anisi, ut vocant,

» simul ad flatos discutiendos uteretur, ipsum » semen anisi cum urina excrevit, sicuti » in alio grana alkekengi contusa ex vino » albo sumpta cum urina excernerentur. » Non interest sane, tempus et verba impendere, ut haec cogitata refutentur, quae gratuita sunt, ac in totum erroribus illis aevis dominantibus instructa. Nullis pariter fulcitur rationibus alia opinio, quae inter affectus spasmodicos diabeten reponit. » In hepate » obstructo, scirrhoso ac in bile vitiata, vel » saponis ad instar humores solvente, vel si » prorsus deesset non satis aqua cum cruore » miscente » diabetis caussam alii reposuere. Ast vero, dicit I. P. *Frank*, » tum plurima » sine hepatis aut visceris ulterius obstru- » ctione hujus morbi exempla habentur, quam » ipso sub ictero diabetes vix sequitur ac ra- » rior foret, pro causa tam communi, ef- » fectus, quam ut aliquam haec opinio au- » ctoritatem tueatur. » Nec clariorem morbi rationem reddunt *Cullen*, *Dobson*, et *Rollo*, qui decernunt illum ex assimilationis vitio scatere. I. P. *Frank* notabilioribus in diabetis caussam proximam ideis eversis proprium offert cogitatum, quod defenderet existentiam specialis stimuli aut virus, Hydrophobico oppositi, in faucium nervos praecipue furien-

tis, ac in primis systematis lymphatici actionem praeter modum incitantis. Ast celeberrimus auctor in hoc, ni magnopere fallor, errasse mihi videtur, ut effectum pro causa haberet. *Cauley*, *Sydenham*, et *Chopart* atoniam ductuum urinarum insimulant. Quommodo verum ex atonia renum adaucta secretio occurrere potest? Atonia enim ad inertiam ducit, hic e contra activitate opus est, quoniam nonnisi ex majori energia organon proprium functionis productum adauget. Itidemque animo forsan adesse possemus *Darwinio*, qui diabetem a motu lymphaticorum retrogrado repetit? Aut assentiri theoricae a *Nicolas* et *Guadeville propositae*, quae tantae urinae copiae propensionem spasmodicam ac assiduam ad renes nutrientium succorum non adhuc ad organicum statum perductorum incusat? Quomodo demum cum *Dezeimeris* conveniemus, qui renum utique irritationem diabetis caussam esse ducit, sed per quam raro primariam, quoniam persaepe ex gastritide singillatim chronica occurreret; si in diabete pene constanter gastritidis signa deficiunt, nec post mortem quoque, sicuti perhibet anatomes pathologica, nonnisi raro reperiuntur, et ad morbi historiam processus ille phlogoticus secundario modo incendere-

tur? Id reapse in urinarum ingente profluvio incidere potest, maxime ob summam integrae oeconomiae laticis serosi jacturam, qua etiam fistula gastro-enterica eo, quo tantum indiget, caret. Porro quot nam homines gastritide laborant, quin unquam diabetici fiant. Denique usque adhuc recensitae sententiae, neutiquam principii saccharini efformationem explicarent. Confiteatur igitur oportet, rem per quam difficilem, si non impossibilem esse de diabetis insipidi, magisque melliti, genesi sufficientem praebere rationem, siquidem naturae mysterim, quod majoribus tenebris amicitur. Diabetes abnormi ac ingenti urinarum secretione constituitur; igitur profluvium hoc nonnisi a renibus, qui huic operi incumbunt, proficisci potest. Et ut renes propriae functionis majores perhibeant productionem, necessario magis energice agi debent, *hyperdiacrisi* nempe detineantur oportet. Ast hyperdiacrisis, ut inducatur ac sustineatur incitamento eget; unde postremo nos devenimus ad renum conditionem irritativam. Et ubi nimis festinanter alicui actioni incumbitur, deficit tempus ut ejusdem productiones rite elaborentur; hinc nimirum, si diabeticorum urina haud exhibeat cuncta illa principia, quae consueto in urina adsunt.

Inter autem organismi leges magis cognitas illa est, quodsi altera adaugeat secretio, aliae imminuant, imo si una nimis excedat aliae plane desinant. Id aperte explicat cutis ariditatem, sitim, absorptionis cutaneae adauctionem, potuum sumptorum copiam, et qui rapide in urinam transeunt. Et relate ad eundem urinarum maximum profluvium, potus et cibos sumptos quo ad pondus valdopere excedens, perfacile intelligimus aerem atmosphaericum elementa ad aqūae compositionem suppeditare. Sed id se sustinet relate ad diabetem simplicem, insipidum, dum de mellito remanet, ut sacchari efformatio et praesentia explanetur. Id nequit a simplici irritatione prodire, quoniam tunc perpetuo ubi haec esset, reperiretur. Igitur oportet adsit peculiaris in organismo conditio, cujus gratia substantia illa condatur. Sed in quo sistat, sicuti prae oculis haud cadit, dignoscere nequimus. Inter autem faciliores chemiae productiones diebus nostris saccharum est. Cuncta enim corpora facillime praestant principia quibus ipsum efformatur. Elementa ideo pro sacchari confectione in alimoniis, potionibus cunctis, nec non ipso in aere ambiente reperirentur. Ubi igitur plurium caussarum congerie conditio illa peculiaris, quae chemiam

vivam respicit, exurgat, saccharum conditur in renibus una cum urinarum secretione, quippe illius substantiae vestigia nec in sanguine nec aliis in humoribus animalibus reperta sunt.

Prognosis.

Pene omnes clinici pronuntiarunt, diabeten plerumque lethalem esse; et in senibus vix unquam curari. Ita plerumque incurabilis quoque habetur diabetes post immodicam venerem aut laborem, et post febres chronicas. Levior morbi gradus sanationem concedit. Si vero jam invaluerit vix remediis cedit infirmis praesertim corporibus, cachecticis, et senibus superveniens. Ubi nimia urinae quantitas decrescit, minusque dulcis est; ubi sitis immodica ac nimium cibi desiderium minus urgent; ubi cutis asperitas sponte cedit, et haec mollis et humida fit; ubi oris pallor et oculorum squallor evanescunt, viresque magis augentur, ibi aliqua sanationis spes effulget. Attamen non semel emolumentum transitorium occurrit; brevique morbus ut antea apparet. Nec semper quoque bene sperare licet ab urinarum immutatione ex dulcibus in insipidas, quoniam non sero dulces

redeunt. Bonum persaepe dicunt urinae, quae proprium saturatum colorem recipiunt. Res autem in praecipiti est, si febris hectica appareat; desiderium cibi penitus cesset; aegerque alimonia fastidiat; si vigilia, tabes, et nervorum distensiones urgeant. Sunt qui credunt, diabetem mellitum insipido periculosiorem esse, sed etiam insipidus persaepe periculo non vacat, et insanabilis est.

Therapia.

Ut vero in caussa explicanda magna occurrit obscuritas, ita in optima curatione statuenda multum adhuc desideratur. Medici auctores remedia illa proposuerunt, quae sibi fictae morbi theoriae responderent; demumque empiria hic uti in aliis incognitae essentiae morbis caput extollit. Idcirco antiqui magni fecerunt de adstringentibus tonicis; de consolida majore, de opiatis, et de theriaca. Apudque eos inter praestantiora auxilia ducebantur merum austerum, abstinentia per quot possibile a potu. Accedunt autem alia adstringentia uti acida mineralia, aluminosa, nec non stimulantia, roborantia, anodina, sedantia, sicuti et calculo adversa, ac resolventia, stomachica et diaphoretica, demum-

que antiseptica. Pulveres Dowerii magno jam erant in pretio. Appositio aquae frigidae ad renes, et balnea frigida suos habuerunt laudatores; dum alii balnea calida praediligebant. *Brisbanius* medicus anglicus bono cum effectu cantharides exhibuisse narrat; enque verba sua: « Tractans aegrotum, qui diabete la- » borabat, et incassum tentatis variis reme- » diis, ejusmodi in casibus usitatis, cogitabam, » num hic morbus non posset oriri ex para- » lytica viarum urinae affectione. Cognita mihi » cantharidum peculiaris vis in has partes » tam in statu sano quam morboso, praescri- » psi tincturam cantharidum, ut bis de die » decem guttas, cum aquae quantitate suffi- » cienti assumeret aegrotus. Per quatriduum » vix ingesserat aeger hoc remedii genus, quin » melius se se haberet, lente itaque medica- » menti dosin adauxi, usque ad triginta gut- » tas; interim sedulo utebatur emulsione » amygdalina at gummi arabico, eo fine ut » moderaretur vis cantharidum stimulans. Sic » ad pristinam sanitatem rediit hic diabeti- » cus (1). » Cupro ammoniacale diabetem resanavit J. P. *Frank*, bis de die a grano dimidio ad granum exhibito. *Tissotius* praescri-

(1) Sandifortii Bibl. med. Belg. 7 p. 420.

bit corpus universum oleo perfricari, datis interius etiam roborantibus et praesertim rheo. Alii in diabete tam insipido quam mellito conspicuum urinarum decrementum habuerunt ab usu assaefoetidae cum extracto mirrae aquoso et valeriana. Non pauci inter germanicos, commendant spiritum *Beguini* idest *hydrosulphuretum sulphuratum ammonii*, cujus dosis est ab initio guttarum duodecim in die, inde usque ad triginta et quadraginta, aliqua in simplici decoctione aut etiam aqua fontis addito syrupo ad gratum conciliandum saporem. Sunt qui summopere vesicantibus fident, quoniam expirationem augent, inspirationem imminuunt. In diabete a diureticis excitato rhabarbarum ad semidrachmam cum tartaro solubili saepius dandum suadet *Vogelius*. *Meadius* aliique Angli bene dicunt de aqua *Bristolense*. *Willisius* calcis aquam proposuit, cui *Macbridius* adjici vult, infundique corticis quercus portionem. Terra Catechù laudibus onusta est; quae etiam aquis ferratis largiuntur. *Cochio* acidulae praeplacent, quibus diaeta lactea ipse addit. Ast multi inter omnium aevorum medici magis quam medicaminibus alimoniis per quam nutrientibus fidebant. Inter veteres duntaxat *Houllier* et *Duret* methodo antiphlogistica uti auserunt, et ad eo-

rum mentem venaesectiones, potiones diluentes, cibi vegetabiles praesidia essent convenientiora. Nuper autem *Nicolas*, *Guedeville*, *Dupuytren* et *Thenard* quum observarent, saccharum, in diabete tam copiosum, azoto penitus carere, in eam venerunt sententiam, quod ut impediretur illius substantiae efformatio, aegrotis nonnisi alimonia admodum azoto scatentia essent propinanda, cui scopo cibi cuncti animales, et maxime pinguedinosi congruerent. Pinguedo etiam externe ex eisdem auctoribus per frictiones praestaret. Ast dum organismo azotum inlargitur, morbosa forsan abripitur conditio, qua saccharum conditur? Quidquid sit, omne quod ex hac medela desiderabatur emolumentum non venit. Porro haud possibile est, ab aegris diaetam illam perferri, quoniam admodum nauseosa est, ita ut post nonnullos dies eam absolute repudient.

Dezeimeris vigentis gastro-enteritidis theoricae suae innixus hujusce affectus curam jubet, adhibitis pari tempore balneis ex aqueo tepente vapore. *Rochoux* uream proposuit, quae praxi haud bene responsit. *Heinken*, medicus anglicus, curationis casus evulgavit per scamoneam, calomelanon, tartarum emeticum et opium. *Traller* diabeticos magnesia

usta se resanasse refert. *William Curter* salutem obtinuit ex opio, balneo calido, ac exercitio laborioso. *Sharley* mirabilia de sodae phosphate dicit. *Lefebur* curam optime explevit sanguinis detractionibus, et balneis universalibus. Non carent etiam qui, utpote remedium adstringens, concinum in usum duxerunt. Alii demum respicientes in diabete polydipsiam utpote symptoma praecipuum narcoticis et subemeticis indicationibus ideae illae accomodatis satisfacere adnituntur. Hinc apud eos ducuntur digitalis purpurea, extracta hyoscyami, et belladonae. Ex medelae rationibus ita diversis, etsi non una sit ratio eandem rem assequendi, licet deducere, multum adhuc desiderari circa diabetis naturam et tractamen. Verum si perpendimus hoc in morbo renum conditionem irritativam indubie dari, nunquam deveniendum esse ad remedia stimulantia, unusquisque concipit. Et ut medendi methodus rationalis instituatur fas est, aegri conditiones omnes et circumstantiae perpendantur. Idirco ubi sit quaestio de subjecto plethorico, et aliqua labe indubie erethistica aut phlogistica detento, quae diabetis in caussa esse possent, sanguinis detractiones absque dubio conveniunt. Digitalis, autem quoniam vires vitales prosternit,

vasorum irritabilitatem sedat, sanguinis circulum retendit pluries emolumentum inducit. Glacies quoque renibus imposita, sicuti et balnea frigida, frictiones revellentes, vesicatoria lumbis singillatim oppacta, opportuna persaepe sunt auxilia. Purgantia cuncta non semel profuerunt, et ideo non obliviscenda. Indubium quoque est interdum felicem exitum habuisse *Beguini* spiritum. Aegri sitim pauxillo sufferantur oportet. Potiones mucilaginosae, succoque acido vegetabile conditae prae aliis conferunt. Cibi mixti sint, vegetabiles et animales, ac quantitate et qualitate ut jacturas reparent, et necessariae nutritioni consulant. Hae sunt brevi regulae, quibus hujusce obscuri morbi therapeuticum tractamen innititur. In spe est, scientiae progressus etiam diabetis essentiam et curationem illustraturos; tuncque aptius alios feliciores de hoc speciali, singularique affectu locuturos.

FINIS.